



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Factum Pulchrum Abbatis Sergij Anachoretæ. Capvt. CXXV.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

ergo illuc venissemus, inuenimus duos Anachoretas, mansimusque prope illos. Erat autem alter quidem ex his Galata, nomine Paulus. Alter vero Melitinus, nomine Theodorus, ex monasterio fuit erat Abbatis Euthymij. Ferebant autem ¹ collobia ex pellibus bubalorum. Mansi autem illic ferme duos annos, distabamusque ab inuicem quasi duobus stadijs. Die autem quadam cum sederet Ioannes discipulus meus, percussit eum serpens, statimque defunctus est, sanguinem ex omnibus partibus fundens. In multa igitur angustia existens abij ad Anachoretas. Qui statim ut viderunt me turbatum, & afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi: Quid est, Abba Zosime? Mortuus est frater: Dico illis: Ita sanè mortuus est. Venientes igitur mecum, videntesque ipsum in terra iacentem, dicunt mihi: Noli contristari, Abba Zosime. Adest diuinum adiutorium. Vocantesque fratrem dixerunt: Frater Ioannes, surge, quia senex te opus habet. Continuoque surrexit frater de terra. Quærentes autem bestiam, & inuenientes, tenuerant eam, & in conspectu nostro illam in duas partes diruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zozime, vade in Sina: Deus enim tibi committere vult Ecclesiam Babylonis. Continuo itaque recessimus nos. Cumque venissemus in Sina, post paucos dies Abbas misit me, & duos alios in ministerium in Alexandriam. Tenensque nos Papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris, omnes tres fecit Episcopos, vnum quidem Heliopolitani, alium Leontopoleos, me verò in Babyloniam misit.

¹ Ecce vilitatem habitus antiquorum monachorum.
Factum Pulchrum Abbatis Sergij Anachoreta.

Narrauerunt nobis quidam patrum in Sina de Abbate Sergio Anachoreta, quod cum moraretur in Sina, constituebat illum dispensator super burdones. Cum ergo die quadam properaret, ecce leo iacebat in via. Porro burdonarij, burdonesque, viso leone, timore correpti, recesserunt. Tunc Abbas Sergius sumens de peravnem benedictionem, profectus est ad leonem, dixitque ei: Accipe benedictionem patrum & ¹ recede de via, vt transeamus. Sumptaque leo benedictione recessit.

¹ *Etiam irrationalibus creaturis in virtute Dei Sancti imperant.*

Egregia Responsio Abbatis Orenti montis Sina.

Dicebant nobis eiusdem loci sancti patres de Abbate Orento, quod die quadam Dominica ingressus est senex in Ecclesiam verso fago suo, ita vt foris villosus esset. Stante igitur eo in choro, venerunt quidam de dispensatoribus loci, & dixerunt seni: Cur ita, pater, ingressus es conuerso fago tuo in Ecclesiam ad derisionem nostram coram peregrinis? Respondit ei senex: Vos euertistis Sina, & nemo vobis dixit aliquid, & ego quia conuerti fagum meum, dicitis mihi: Quare conuertis fagum tuum. Ite, corrigite, quæ euertistis, & ego corrigam quæ euerti.

Vita Abbatis Georgij sancti montis Sina, & Amis cuiusdam ex Galatia Phrygia.

Narrauit nobis Abbatissa Damiana solitaria, mater Abbatis Athenogenis Episcopi Petresis,